

Utrum creata quaelibet intellectio distinguatur realiter ab intellectu cuius est cognitio. Arguitur quod non sic: intellectus noster est separatus a materia, igitur et sua intellectio. Consequentia patet per Commentatorem 12 Metaphisice, textu commenti 51 dicentem quod in hiis que sunt separata a materia idem est intellectus et intellectio. Antecedens patet 3 De anima.

Ad oppositum sic: intellectio creata transit in preteritum intellectu manente, igitur non est realiter intellectus. Consequentia patet, probatur antecedens. Quia experimur nos habere actum recordativum, sed recordatio est respectu preteriti igitur.

Pro solutione quaestionis pono conclusiones tres. Prima conclusio est quod creata quaelibet intellectio realiter distinguatur ab obiecto cognito. Probatur tripliciter. Primo sic: impossibile est fieri transitum de contradictorio in contradictorium sine alicuius rei productione, ubi non sufficit motus nec temporis transitus, nec aliqua res destruitur, sed quando obiectum de non intellecto sit intellectum sit transitus de contradictorio in contradictorium ubi nulla predictarum causarum sufficit, igitur oportet quod aliqua res sit de novo producta. Maior patet, quia ad talem transitum quandoque sufficit motus sicut quando de raro sit densum et de recto curvum quandoque sufficit transitus temporis, quia de re que causatur verum est dicere pro primo instanti quod causatur, sed pro toto tempore sequenti non. Quandoque sufficit alicuius rei destructio, ut patet. Quandoque alicuius rei productio ut scilicet quod agens agit prius non agebat et solum dictis modis potest fieri transitus talis. Sed minor probatur, quia certum est quod ibi est formalis contradictio quando obiectum de non intellectu sit intellectum, quia tunc intellectus fit de non intelligente intelligens, et non sufficit ad hoc motus nec transitus temporis quia ista sunt magis causa oblivionis quam intellectionis nec ex hoc aliqua res destruitur, igitur ibi necessario requiritur alicuius rei productio, sed talis res non potest esse nisi intellectio, igitur tunc intellectio producitur sed tunc obiectum non producitur, igitur intellectio distinguatur ab obiecto cognito. Et confirmatur, quia intellectio est contingens, quia aliquando est, aliquando non est. Obiectum autem quandoque est necessarium, sicut quando intelligo Deum talis autem intellectio nostra non potest esse Deus.

Secundo sic: nullum ens est realiter non ens. Intellectio est ens obiectum aliquando est non ens, sicut quando intelligo rosam non existentem.

Tertio sic: nullum spirituale est corporale. Intellectio est spiritualis, obiectum quandoque corporale. Quod intellectio sit spiritualis patet. Quia est operatio potentie que nec est corpus nec virtus in corpore.

Item de eodem obiecto potest unus habere cognitionem scientificam et alius opinativam, unus veram et alius falsam, igitur tales intellectiones non possunt esse obiectum cognitum.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: quodcumque aliquis conceptus dicitur univoce de aliquibus, si de uno illorum dicitur essentialiter et quidditative et de aliis, sed cognitio vel esse cognitum dicitur univoce de omnibus obiectis cognitis, et dicitur essentialiter de aliquo obiecto cognito, igitur. Maior nota, quia alias non diceretur univoce. Patet minor, primo quod cognitio dicatur univoce de omnibus obiectis cognitis. Patet, quia eadem diffinitio dabitur de cognitione unius obiecti sicut et alterius, sed quod dicatur essentialiter de aliquo obiecto cognito. Patet, quia (77va) ipsa cognitio intellectus ab intellectu cognoscit quia intellectus cognoscit se cognoscere et sic ibi cognitio est obiectum cognitum et tamen not alia cognitione ab ipsa que est obiectum, quia tunc esset processus in infinitum.

Secundo sic: cognitio est obiectum non cognitum, igitur est obiectum cognitum. Consequentia patet, quia maiorem convenientiam habet cognitio cum obiecto cognito quam

cum non cognito. Sed patet antecedens, quia ista propositio in casu est vera 'non cognitum est cognitio', tum quia non omnis cognitio tua est a me cognita, tum quia si omnis cognitionis sit cognita, quero aut se ipsa aut alia et alia. Si se ipsa, igitur cognitio et obiectum sunt idem, si alia et alia tunc posita una cognitione necesse erit ponere infinitas cognitiones quod est falsum.

Tertio sic: cognitio et obiectum aut sunt eiusdem rationis, aut alterius. Si eiusdem, habetur propositum: sicut differentia realis infert differentiam rationis, ita identitas rationis infert identitatem realem. Si alterius, contra: nullum ducit in cognitionem alicuius quod est alterius rationis ab illo, igitur actus intelligendi vel cognitio numquam ducit in cognitionem obiecti quod est falsum etc. Et confirmatur, quia cognitio predicatur de obiecto cognito mediante hoc verbo est ut dicendo obiecti est cognitio. Nec valet si dicatur quod cognitio predicatur de obiecto in obliquo et non in recto quia quando aliqua sunt idem quicquid attribuitur uni et alteri, sed obiectum in recto et in obliquo sunt idem, sicut idem est Socrates in recto et in obliquo.

Respondeo. Ad primum dico ad secundam partem minoris quod aliqua cognitio cognoscitur ab intellectu et aliqua non, quia intellectus quandoque habet actum reflexum super actum rectum, quandoque non, et tunc quando cognoscit cognitionem suam, tunc dico quod non sunt idem cognitio cognita et cognitio qua cognoscitur, quia una est actus rectus, alia est actus reflexus, nec ex hoc sequitur processus infinitum de facto, sed solum quod intellectus potest cognoscere omnem suam cognitionem in esse positam.

Ad secundum concedo antecedens, scilicet quod cognitio aliquando non est cognita et nego consequentiam. Ad probationem, quia maiorem habet convenientiam cognitio cum obiecto cognito quam cum non cognito, dico quod consequentia est duplex, scilicet representationis et essentie. De prima dico quod cognitio magis convenit cum obiecto per ip- (77vb) sam cognito representative, sed non essentialiter, ponendo tamen quod idem non potest representare se ipsum, sicut quod nec idem dicitur simile sibi ipsi, ut dicit Magister distinctione 31 primi sed de convenientia essentiali est falsum, nam magis essentialiter conveniunt due cognitiones etiam se ad invicem non representantes, quam faciat cognitio cum cane cognito, et sic apparet quod neganda est hec consequentia. Ista magis conveniunt similitudinarie vel representative, igitur et magis conveniunt essentialiter.

Ad tertium dico quod aliqua esse eiusdem rationis potest dupliciter intelligi. Uno modo id est eiusdem speciei et diffinitionis. Alio modo quod in tantum uniuntur quod intellectus non potest inter ipsa aliquam distincte ponere. Modo dico quod secundo modo numquam obiectum et cognitio sunt eiusdem rationis. Si autem accipiatur eiusdem rationis primo modo, dico quod aliquando obiectum et cognitio sunt eiusdem rationis, ut quando cognitio cognoscitur quandoque alterius, ut quando Socrates cognoscitur. Et quando probatur quod non, quia unum non posset ducere in notitiam alterius, dico quod immo. Quia etiam circulus et vinum sunt alterius rationis et creatura cum creatore tamen unum ducit in cognitionem alterius, quia ibi sufficit similitudo representationis, licet non essentialis, ut dicebatur in solutione primi argumenti contra secundam conclusionem quaestione 6.

Ad confirmationem dico quod nec sequitur nisi subiectum et predicatum ponantur in recto. Ad probationem dico quod licet eadem res sit Socrates significatus in recto et in obliquo tamen propter variationem casus recti et obliqui variatur habitudo predicati ad subiectum. Unde quicquid attribuitur uni et alteri, sed non in eadem habitudine.

Secunda conclusio est quod creata quaelibet intellectio realiter distinguitur ab intellectu cuius est cognitio.

Probatum tripliciter. Primo sic, intellectus noster non intelligit se nisi accidentaliter, igitur non est ipsa intellectio. Consequentia nota, quia intellectus non est ipsemet accidentaliter, cum tamen sit ipsa intellectio accidentaliter per accidens. Et antecedens patet per Commentatorem 12 Metaphisice, commento 1, dicentem quod intellectus noster intelligit se ipsum accidentaliter, Deus autem essentialiter. Et confirmatur, quia intellectus quandoque intelligit et quandoque non, quandoque intelligit unam rem uno modo, quandoque modo opposito.

Secundo (78ra) sic: Intellectus est prior cognitione, igitur. Consequentia nota, quia idem non potest esse prius se ipso. Patet antecedens 3 De anima, textu commenti 14, quia anima nostra in principio sui est sicut tabula rasa, in qua nihil est pictum etc. Et confirmatur, quia intellectus noster quandoque est in potentia at intelligendum quandoque est in actu ut habere tertio De anima textu capitulo 8 quia est possibilis omnia fieri et hoc per intellectionem.

Tertio sic: intellectus noster manet idem sub translatione alicuius actus sui, immo omnis igitur non est realiter suus actus consequentia. Quia per hoc probatur 1 Physicorum, quod forma non est materia. Antecedens patet, quia intellectus manet idem realiter sub notitia et sub errore.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: intellectus noster continuando intellectionem suam non fatigatur, nec laborat, igitur est realiter sua intellectio. Antecedens patet per experientiam, sed consequentia nota per Commentatorem 12 Metaphisice commento 1, dicentem quod si intellectio primi esset aliud ab essentia sua fatigaretur etc.

Secundo sic: intellectus noster est intelligens se ipsum, igitur est sua intellectio. Consequentia patet, quia quando aliquid habet rationem medii inter aliqua extrema magis est unum cum altero extremorum quam extrema sint unum inter se. Modo secundum ponentes intellectionem distinctam ab intellectu ipsa est medium inter obiectum et intellectum, igitur et si quando intellectus intelligitur mediante intellectione et intellectus quod intelligitur est idem cum intellectu in intelligente multo magis et intellectus qui est medium erit idem cum ipso intellectu.

Tertio sic: intellectus noster est impassibilis, igitur est sua intellectio. Consequentia patet, quia nisi sic esset tunc pateretur recipiendo intellectionem probatur antecedens tertio De anima textu capitulo 7 et 20. Sed forte diceret quod sicut ibidem dicit Commentator quod non oportet quod omne quod recipit patiat, immo causa receptionis est natura recipientis, ideo talis receptio non causat passionem, immo eum magis salus et perfectio et non est passio a contrario.

Contra, ibi vere est passio a contrario ubi est notitia et error. Sed ista sunt vel esse possunt in intellectu, si ponatur distingui a suis actibus, quia aliquando suus actus poterit esse error aliquando notitia. Error autem et notitia contraria sunt. Item quod intellectio sit intellectus (78rb) videtur expresse de mente Augustini 9 De trinitate capitulo <?> dicentem quod intellectus et mens et notitia sunt una substantia.

Respondeo. Ad primum, dico quod intellectus non est fatigabilis per se, licet sit bene fatigabilis per accidens, quoniam intellectus freneticorum quorum fantasia et organa sunt lesa fatigatur per accidens. Dico igitur quod Commentator vult dicere quod si intellectio primi esset aliud a sua substantia quod esset fatigabilis per accidens, non tamen per se, et ideo sic concedo

quod quia intellectio est aliud ab intellectu nostro qui intellectus noster est fatigabilis per accidens.

Ad secundum concederem consequentiam si intellectus necessario se ipsum intelligeret. Sed quia se ipsum solum intelligit per accidens, ideo nego consequentiam. Ad probationem dico quod verum est de medio mediante inter duo extrema contraria, sicut color medius inter albedinem et nigredinem magis convenit cum albedine quam ipsa nigredo. Sed non est verum de medio representativo, quia tale medium potest representare illud sibi ipsi.

Ad tertium dico quod intellectus potest dici impassibilis dupliciter. Uno modo id est incorruptibilis, et sic concedo antecedens et nego consequentiam. Alio modo dicitur impassibilis, quia nihil in se tanquam subiectum possit recipere, et sic nego antecedens et concedo consequentiam. Nec sequitur talis patitur a contrario id est recipit in se contraria, igitur est corruptibilis. Ad Augustinum dico quod pro tanto dicit quod mens, notitia et amor sunt idem quia mens, scilicet anima est subiectum ipsius notitiae et amoris, non autem intelligit quod intellectus sit ipsa sua notitia cum per ipsum intellectus vel mens gignat sui notitiam.

Tertia conclusio est quod possibilis est a Deo intellectio que cum intellectu erit idem cuius et cognitio.

Probatur tripliciter. Primo sic: hoc fieri non implicat contradictionem, igitur consequentia nota per theologorum maximam que est quod Deus potest facere quicquid fieri non implicat contradictionem. Sed antecedens patet, quia si implicaret hoc maxime esset, quia talis perfectio poneret illam intelligentiam vel illum intellectum extra terminos creature, sed hoc non esset quia cum hoc staret quod illa talis intelligentia non esset perfectionis infinite.

Secundo sic: Deus potest facere accidens per se sine substantia existere, igitur et intellectum per se sine omni accidente intelligere. Consequentia nota, quia non magis repugnat substantie habere pro- (78va) priam perfectionem sine omni accidente quam accidenti habere propriam existentiam sine omni substantia immo minus cum minus dependeat substantia ab accidente quam e converso sed antecedens patet in sacramento altaris etc.

Tertio sic: illud non videtur apud Deum impossibile quod nature condite non videtur contradicere. Sed quod aliqua sit intelligentia creata cuius intellectio sit sua substantia, non videtur nature contradicere, igitur maior patet. Sed minor deducitur ex hoc quia si hoc repugnaret nature condite non videtur verisimile quod tantus indagator secretorum sicut fuit Aristoteles et etiam suus Commentator posuissent illud nature convenire, et tamen hoc posuerunt quoniam, ut expresse ait Aristoteles 12 Metaphisice et Commentator texto commenti 51 quod in hiis que sunt separata a materia idem est intellectio intelligens et intellectum, etc.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: si Deus posset facere intelligentiam que intelligeret per propriam substantiam tunc illa intelligeret Deum sicut principale et summum bonum ex hoc posito illa amaret Deum et tunc aut amore ordinato, aut inordinato. Non inordinato, quia tunc illa substantia ex se esset inordinata. Nec ordinato, quia cum Deus sit melior ipsa intellectione que est ipsamet substantia, sequeretur quod perfectius amaret Deum quam se ipsam, sed hoc est falsum, quia nihil perfectius potest fieri maxime naturali in alterum quam in se ipsum.

Secundo sic: Deus non potest facere intelligentiam que non possit errare, igitur nec aliqua potest facere que sit sua intellectio. Patet consequentia, quia sicut ipsa substantia non potest esse error, sic nec sua intellectio cum sit realiter idem. Patet antecedens, quia non potest facere creaturam rationalem per naturam in peccabilem.

Tertio sic: Deus non potest facere intelligentiam que sit suum velle, igitur nec que sit suum intelligere. Patet consequentia, quia equaliter sequitur de uno sicut de alio. Sed probatur antecedens, quia non potest facere substantiam contrariam sibi ipsi, sed si aliqua intelligentia esset suum velle esset contraria sibi ipsi, quod patet, quia sicut nos unum volumus et postea illud nolumus, unum diligimus et postea illud odimus, qui actus in nobis sunt contrarii ita posset illa intelligentia. Et cum substantia sua esset idem quod velle substantia sua contrariaretur sibi ipsi.

Respondeo. Ad (78vb) primum dico quod talis intelligentia perfectius amaret Deum quam se ipsam. Et dico quod aliquid perfectius et principalius potest ferri in alterum quam in se ipsum. Quod patet, quia quilibet tenetur perfectius Deum diligere quam se ipsum, nullus autem obligatur ad impossibile. Etiam patet per exemplum illorum quod moriuntur pro republica vel martires qui se morti pro Christi fide tradunt.

Ad secundum nego consequentiam, immo dico quod talis posset errare, quia sibi alique res possent assistere aliter quam deberent vel alique possent non existere que essent necessarie ad se representandum in ratione obiecti, et cum dicitur et tunc substantia sua esset error, dico quod sicut dicimus de actu difformi elicito quod in quantum actus est bonus est et a Deo, sed in quantum difformis est malus et non a Deo, ita in proposito posset dici quod talis intellectio in quantum substantia esset bona, nec esset error, sed in quantum a veritate difformis esset error. Vel etiam posset dici quod talis posset acquirere multas rerum intellectiones quem essent sibi accidens cum hoc etiam quod haberet in intellectionem substantiam nec videretur impossibile. Tunc quod aliquid posset intelligere duplici intellectione, scilicet una que esset substantia alia que esset accidens, sicut in nobis ponimus affectum sensualitatis argumentis et rationis. Et utroque affectu homo appetit comedere quando indiget et tunc intellectione que esset sibi accidens posset errare, et non illa que esset substantia propria.

Ad tertium nego antecedens. Ad probationem dico quod talis substantia que esset suum velle non esset contraria sibi ipsi. Unde idem esset aliquando velle unius aliquando nolle, aliquando amor, aliquando odium, sicut dicimus quod velle Dei nullo modo variatur, modo est acceptatio unius quando scilicet est in gratia postea est de acceptatio illius quando scilicet est in culpa. Ita multo fortius potest dici de illo velle quod esset substantia creata quia istud velle posito quod esset substantia, quia tamen creatura est posset variari non autem velle Dei. Ita sicut etiam posito quod modo velle meum sit rectum sic quod diligationem existentem in gratia et odiam omnem existentem in peccato et revelet mihi Deus statum tuum si cognosco te esse in gratia velle meum est amor tui si postea cognoscam te esse in peccato velle meum idem quod prius esset odium tui. Tales igitur actus in se non dicuntur contrarii nisi ratione connotati.

Ad argumentum primum in principio quaestionis. Nego con (79ra) sequentiam. Ad Commentatorem posset negari in puncto illo sed si quis vellet eum tenere propter suam reverentiam sic potest glosari quod Commentator intelligit quod illa que sic sunt separata a materia quod non sunt materialia nec coniuncta materialibus nec coniungibilia per modum forme informantis quod tales substantie sic separate sunt idem quod ipsarum intellectiones, modo nulla talis substantia separata sic est nisi solus Deus, nam intellectus noster, licet non sit materialis scilicet compositus ex materia et forma, est tamen coniunctus per modum forme rei materialis. Similiter intellectus angelicus est coniungibilis, quia de potentia Dei posset ita unum corpus informate sicut modo facit anima intellectiva utrum tamen ista fuerit intentio commentatoris non est presentis speculationis etc.